niensis contermini terrarum domini potentes, videlicet comes de Marka, comes
de Arnsberg, comes de Waldecke, et comes de [en] sicis quamvis singuli essent pre-
dicto domino Walramo vel consanguinitatis vel affinitatis federe coniuncti,
valida inter se contra ecclesiam Coloniensem conspiratione facta, ceperunt
fines et terras ecclesie undique perturbare. Sed quia comes de Marka inter
ceteros principalius ecclesiam infestabat, Ipse ~~dictus~~ [dominus] Walramus multos
los nobiles ad stipendia conducens, misit exercitum militarem ad Westf-
faliam ad tuendum fines ecclesie contra inimicos. Verum conflic-
tu inter gentes ecclesie et comitis de Marka campestri habito, victoria
cessit comiti de Marka, et non nullis interfectis de stipendiariis
archiepiscopi, 300 vel circiter captivi sunt abducti. Sed propter hos
casus adversos ipse archiepiscopus a concepta defensione iuris ec-
clesie non desistens, cito post resumptis viribus validum arma-
torum militarem pariter et pedestrem exercitum congregans,
applicuit ad terminos comitatus de Marka, transiens Renum
iuxta Berkam. Ubi cum consedisset in finibus comitatus, Wilhelmus
comes Hollandie una cum comite Cliviensi tractantes de pace, certa
concordie pacta inter partes tractaverunt, et sic expeditio ipsius
Archiepiscopi ab ulteriori progressu tunc fuit, licet [cum] dampno
ecclesie, intermissa. Nam exercitus archiepiscopi et expensarum
apparatus ad dictam expedicionem dispositus adeo [multus] fuit, quod ipse
comes resistere non valebat, quin ipse archiepiscopus ad exinanicionem ulti-
mam compulisset. In supradicto vero conflictu prius habito dictus comes
vulnera et fatigationes virium corporis accepit, ex quibus non diu postea
est defunctus. Porro cum ipse Walramus archiepiscopus talibus pul-
satus adversitatibus et infortuniis expensis et ~~simplicibus~~ sumptibus necessariis
fuisset exhaustus, et per fratrem suum comitem Iuliacensem necnon
non alios de sua parentela consanguineos, qui inimici ipsius
et ecclesie plus quam ipsi archiepiscopo erant favoli delictus, cepit
ipse per aliqua tempora peregrinari ab ecclesia et se absentare, et pro partibus regni
francie cum paucis familiaribus parcendarum expensarum gratia conversari,
commissa gubernacione rerum ecclesie et terre extraneis quibusdam personis
etiam laicis, quo quidam adversarum rerum omnia [quasi] ecclesie castra et mense
episcopalis redditus fuerunt pro solvendis debitis in creditorum manibus
obligata. Cum igitur ipse archiepiscopus absens a patria taliter peregrinando
exularet, obiit Parisius in vigilia Assumptionis beate Marie sub
anno domini 1349. Cuius corpus fuit translatum Coloniam,
et in ecclesia sancti Petri sepultum, videlicet in capella sancto-
rum angelorum, a dextera latere chori. Supra cuius tumulum suc-

69.

~~simplicibus~~

feriali